

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
9c.22
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
Recd 28 August, 1863.

EMENDATIONES

IN

AESCHYLI AGAMEMNONEM.

SCRIPSIT

RUDOLPHUS RAUCHENSTEIN.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

ARAVIÆ.

TYPIS H. R. SAUERLÆNDER. MDCCCLVIII.

Parvo externarum opum apparatu res magnas efficere, quum in omni arte summae laudi et admirationi sit, quumque ea re ingenii magnitudo et fontis ex intimo animi recessu profluentis ubertas potissimum censeatur, ea profecto laus et admiratio in neminem magis cadit quam omnino in Graecorum poetas tragicos et praesertim in Aeschylum. Nam ut poetarum Graecorum sua cuique virtus est et praestantia, ita nemo illorum motus in animis legentium maiores minore usus rerum apparatu excitat, quam Aeschylus. Quod quum in omnibus eius tragoediis, tum in Orestea et imprimis in eius Agamemnone cernitur; cuius ea est argumenti simplicitas, ea in rerum quae aguntur expediendarum facilitas et perspicuitas, ea denique personarum, quibus agendum est, paucitas, ut mireris animos tam exiguo apparatu teneri posse. Sed ea est rursus personarum varietas ac morum naturaeque singularum proprietas et veritas, ea rerum magnarum ab initio exspectatio, ea fortunae, quae laetissima videbatur, in casus atrocissimos paullatim conversio, ut animus spectatoris statim post initium sollicitudine affectus mox in omnem partem gravissime commoveatur. Nam animus in spem boni eventus vocatus atque, etsi sunt quae ab initio terreant, magna laetitia ob exercitum et regem victorem receptum perfusus mox ex laetitia in angorem, ex angore in summum metum et postremo in luctum coniicitur, ita ut denique dolore et commiseratione, ira ac terrore omnia misceantur, ex quibus unum emergit, quo fere necessitate ipsa adducimur, spes certa et persuasio, fore ut res humanae etiam numini divino curae sint, et poena digna qui commeruerunt plectantur. Quae res tantae tamque graves quum per se iuvenum animos vehementer commovent, tum simplicitas illa, de qua supra diximus, in primis allicit ac tenet. Neque enim quidquam est, quod iuvenili animo magis conducat et conveniat, quam rerum magnarum varietati coniuncta simplicitas, qua fit ut et summa totius corporis et membrorum quasi articuli, quibus singulae partes cohaereant, facile mente comprehendantur. Quae causa fuit cur saepe iuvenibus provectioribus unam ex Aeschyli tragoediis tractandam proponerem, vel Prometheum vel Eumenides vel Agamemnonem, hunc autem potissimum ex quo tempore Engeri ad scholae usum satis accommodata prodiit editio. Numquam vero discipulos in ea lectione languentes vidi, haesitantes autem multis in locis et praeceptoris auxilium exspectantes saepenumero. Nam verum est, quod nonnullis de Aeschylo cum discipulis gymnasiorum legendo dubitationem movit, multa in eo reperiri quibus iuvenes suopte ingenio superandis sint impares. Sed ut in aliis rebus praeceptoris est discipulis laborantibus succurrere, sic etiam Aeschylo operam navantibus in singulis lectionibus sunt praeministranda, quae in proximam quamque lectionem iis prosint. Nonnulla praecipienda sunt, in aliis viam tantum monstrasse sufficiet, nec poenitebit, ubi necessitas fuerit, vel aliorum vel suas coniecturas dictasse, in quibus diiudicandis iuvenes et vires exerceant et hic illic difficultate feliciter superata alacrius progrediantur. Nam plurima post Wellauerum, multa post Hermannum restabant in poetae verbis vel falsa vel obscura, quae etsi certatim hoc ipso sexennio tollere studuerunt viri doctissimi et vero

multa egregie emendarunt, tamen nonnulla praeterierunt aut ita tractaverunt, ut dissentire et viam novam ingredi liceat. Neque enim quum cogitamus quid his fere quadraginta annis in hoc poeta explanando profectum sit, dubitandum est quin porro proficiatur, si, quisquis Aeschylo operam assiduam tribuerit, in usum communem proferat quae rectius vidisse videatur. Haec opinio me movit, ut nunc partem eorum ederem, quae iam diu annotassem. Nam lubricum hoc emendationis esse negotium quis non expertus est? Atque ex iis, quae ante hos viginti vel decem vel quinque annos ut recte emendata libri mei margini adscripseram, multa postea vel ipse abieci vel ab aliis aut refutata aut melius emendata cognovi. Sed de aliis plus decies tractatis semper fere eadem stetit sententia. Nunc autem etsi morae non poenituit, placuit fortunam aliquando tentare et iis, quae tribus annis abhinc de Eumenidibus coniectanea edideram, similia de Agamemnone addere.

Et paucula quidem iam ante hoc biennium exprompsimus in Annall. phil. et paed. Lips. censuram agentes editionum Engerianae et Karstenianae. Vix ea typis expressa erant, quum prodiit Schneidewiniana, opus posthumum bonae frugis plenum, cuius, ut primum mihi otium contigit, commentarium paene devoravi. Et in aliis, ut fit, consentientem cum meis cognovi, in aliis dissentientem. Sed quum ne in his quidem omnibus sententiam ante biennium prolatam deserendam putem, paucissimis verbis hic primum ea, quae nunc quoque ex iis placeant, subscribam.

V. 12. Ne custodis quidem et famuli ingenium structura tam perplexa et obscura decet, qualis ex vulg. lectione ei tribuitur. Proposui *ἐγὼ δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω Εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην. Τί μήν; φόβος γὰρ κτἑ.* Vulg. *εὖτ' ἄν*, pro quo posui *ἐγὼ δέ*, ex *εὐνήν* quod v. 13 sequitur oriri potuit. V. 104 (Engeri numeros sequor) *τῆς θυμοβόρου φρενὶ λύπης* volui, ut *φρενί* ex *ἀμύνει* pendeat. Sic quod postea vidi olim etiam Hermannus. V. 128 *κνεφάσῃ* alienum ab imagine frenorum. Dubitanter conieci *δαμάσῃ*. V. 134 sqq. legendum: *τόσσον περ εὔφρων ἁ καλὰ — θηρῶν ὀβρικάλοισι, τερπνά Τούτων αἰνεῖν σύμβολα κραίνει. Δεξιὰ μέν κατάμομφα δὲ φάσματ' οἰωνῶν.* Constr. *ἁ καλὰ* (vel *θεὰ*) *κραίνει, ὥστε σύμβολα τούτων αἰνεῖν τερπνά.* V. 169 *στάζει* transitivum est, cuius obiectum *μάθος* e superioribus petendum. V 172 *βιαίως* mutaverunt in *βίαια*, sed neutri horum hic est locus; desideratur non adverbium ad *ἡμένων*, sed adiectivum ad *χάρις*, ergo *βίαιος*, nec video quomodo *βίαια* Schneidewinus cum *ἄκοντας* coniungi posse putaverit. V. 202 *πῶς λιπόναυς γένωμαι ξυμμαχίας ἁμαρτών*; quum hoc *ἁμαρτεῖν τῆς ξυμμαχίας* tunc secuturum esset, si classem rex desereret, scribendum *ξυμμαχίας θ' ἁμάρτω*. Videt enim, ubi classem deseruerit, se statim destitutum iri a sociis. Nam quod Schneidew. *λιπόναυς* a classe desertum esse ait, est sane quod dubites; conferantur enim *λιπόπολις*, *λιποναύτης*, *λιπόπατρις*, *λιποστρατία*, *λιποταξία*, *λιποτάκτης*, in quibus omnibus verbi significatio activa est. V. 295 sqq. sic scribendos proposui: *πέμπουσι — φλόγος μέγαν πώγωνα καὶ Σαρωνικοῦ πορθμοῦ κάτοπτον πρῶν' ὑπερβάλλειν πρόσω· φλέγουσα δᾴς δ' ἔσκηψεν, ἔστ' ἀφίκετο κτἑ.* De his omnibus in Annall. Lips. uberius egimus; nunc autem nova adiicere libet.

453. *τὸ δ' ὑπερκόπως κλύειν εὖ*
βαρύ· βάλλεται γὰρ ὄσσοις
Διόθεν κεραυνός.

Vulgatam lectionem quamvis ab Hermanno defensam ferri posse recte negat Schneidewin. ὀξύς coniecit Schoemann, quo epitheto facile careas. Recte sensit Schneidew. Philol. IX, 143, similem fere sententiam inesse debere, qualem pronunciat Herod. VII, 10, et Horatius *feriuntque summos fulgura montes*, itaque scripsit βάλλεται δὲ κρόσσαις, ut pinnae murorum feriri dicantur. At primum nescio an prominentior altitudo alio vocabulo aptiore indicari debuerit, deinde offendit structura insolita, nam dicendum potius erat βάλλονται κρόσσαι κεραυνῷ. Equidem in eandem sententiam tentaveram olim βάλλεται γὰρ ἄκρα Διόθεν κεραυνῷ. Postea autem quum quaererem quod propius ad lectionem vulgatam accederet, incidi in βάλλεται γὰρ ἆσσον Διόθεν κεραυνός, *propius enim coniicitur ab Jove fulmen*, i. e. ut quaeque res maxime excellit, ita obnoxia est fulminis ictui. ἆσσον postea etiam a Kaysero diar. doct. Monac. 1857 p. 540 propositum vidi magno cum gaudio.

467. αἴσᾳ pro αἴχμᾳ non recte conieci. Quod autem in seqq.

πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπίνεμεται
ταχύπορος· ἀλλὰ ταχύμορον
γυναικογήρυτον ὄλλυται κλέος,

ὅρος ferendum esse negavi, iure feci. Nam ὅρος iussum, imperium significare frustra contendunt, nec si de imperio adhibeatur, aliud sit quam finis, quem vel ultra vel citra res imperata fieri non debeat. Sed ἔρος, quod olim amplexus sum, nunc missum facio, quia non tam de cupiditate credula quam de rumore inani vel anili sermo est, qui celeriter per mulierum ora vagetur et credatur. Is autem, ni fallor, erit ὕθλος, cui vocabulo inhaeret notio vanitatis hic aptissima. Facile autem ὕθλος praecedente θῆλυς obscurabatur.

540. τί δ' οὐ στένοντες, οὐ λαχόντες ἤματος μέρος;

Frustra nonnulli mihi videntur laborare in defendendo λαχόντες. Κλαίοντες cum Stanleio Hermannus voluit, ἀχοῦντες Enger, alia alii. Verum non tam eiusdem notionis iteratio desideratur, quam ut causa gemitus indicetur, id quod efficitur posito πονοῦντες. Sed aptius est καμόντες, quod Hermannus reiicit, quia necessario praesens desideretur. Quid autem si καμόντες sic capias: *qua parte diei non gementes, quippe qua non afflicti?* Atque adeo in promptu est Pauwianum λαχόντες, ut in idem bis terve diversis annis ultro inciderim.

545. τιθέντες ἔνθηρον τρίχα. Ἔνθηρος Philoctetae pes in loco Sophocleo recte dicitur, ἔνθηρος alia ratione etiam silva ferarum nutrix. Quid autem capilli? Non credam id voluisse Aeschylum. Explicant igitur capillos *hispidos, hirsutos*, nescio quo iure. Potius canitie affectos dixisse opinor, num ἔγγηρων? — Paullo post v. 550 scribendum potius παροίχεται πόνος· παροίχεται δή pro δέ, praeteriit vero, ita ut cett.

562. θεοῖς λάφυρα ταῦτα τοῖς καθ' Ἑλλάδα
δόμοις ἐπασσάλευσαν ἀρχαῖον γάνος.

ἀρχαῖον interpretantur quod diuturnum est, inviolatum manet, Hermannum secuti, qui ad Soph. OC. 632 provocat, ubi πίστις ἀρχαία sit firma fides, olim antiqua futura. Et recte quidem apud Sophoclem, ubi addito τέκνοις statim intelligitur fides etiam posteris firma mansura. Similiter Virgil. Aen. I. 292 „*Cana Fides* et Vesta, Remo cum fratre Quirinus iura *dabunt*." Sed apud Aeschylum, quum omnis posteritatis significatio absit, scribendum videtur εὐκταῖον, ornamentum diis pro victoria votum.

623. πόλει μὲν ἕλκος ἓν τὸ δήμιον τυχεῖν,
πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων
ἄνδρας διπλῇ μάστιγι, τὴν Ἄρης φιλεῖ
δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα.

Si verum est, quod Lobeckio duce putat Schneidewinus, ἐξαγίζειν νεκρόν esse *expurgare emortuum* secundum Columellam, i. e. efferendo mortuum purgare domum, male illi locutioni convenit διπλῇ μάστιγι. His autem ipsis vocabulis, ut videtur, ductus Emperius protulit ἐκραπισθέντας, i. e. duplicis flagelli verberibus fugati ex aedibus, quae imago acerbior sane et atrocior est quam quae hic admittatur. Schoemanno placuit ἐξανυσθέντας. Mihi autem iam pridem in mentem venerat ἐξαμηθέντας, et nunc quoque placet ut sensui aptum et literarum forma proximum. Verum tamen in διπλῇ μάστιγι haereas, quod nullo modo nec cum ἐξαγισθέντας nec cum ἐξαμηθέντας conciliari potest. Sed si reputaveris nuncium haec dicere: „si quis mala abominanda civitati nunciet, primum quidem publicam exercitus interempti cladem, deinde multos multis e domibus viros esse occisos,“ facile dabis, orationis tenorem eo ducere, ut scribatur: ἄνδρας, διπλῆν μάστιγα, τὴν Ἄρης φιλεῖ, δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα, *duplicem dolorem*, quo scripto grave pondus efficitur re tribus notionibus διπλῆν μάστιγα, δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα more sane Aeschyleo enunciata.

674. Paris cum Helena ἔπλευσεν ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ. In γίγαντος neminem praeter Hartungium offendisse mireris. Nam γίγας hic nihil aliud esse possit quam immodice spirans, id quod huic loco aptum esse recte negat Hartung. Scripsit ille ζαέντος ex Hesychio, vocabulum aliunde non notum. Videtur potius notio venti desiderari navigationi faventis, secundi; nam lenitas et suavitas zephyri propria est. Num igitur γελῶντος?

709. Leo, cum catulus esset, mansuetus, nunc autem adultus

χάριν τροφεῦσιν ἀμείβων
μηλοφόνοισι σὺν ἄταις
δαῖτ' ἀκέλευστος ἔτευξεν.

Quis criticorum μηλοφόνοισιν ἄλαισιν, quod a Schneidewino in ed. p. 223 commemoratur, primus coniecerit, nescio, sed ante multos annos ipse conieceram μηλοφόνοις ἐν ἄλαισιν, i. e. circumvagus oves occidens. Idque verum esse puto, quia sic caedium in leone cupiditas ad veritatem naturae describitur. Cf. Hom. Il. 5, 161. λέων ἐν βουσὶ θορών. Simili sententia Schneidew. probante Kaysero μηλοφόνοισι σὺν ἀγαῖς. ἄταις, quod plurimi praeferunt, etiam propterea displicet, quod idem vocabulum post paucos versus recurrit.

740. φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις
μὲν παλαιὰ νεά-
ζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν ὕβριν,
τότ' ἢ τόθ', ὅταν τὸ κύριον μόλῃ
νεαρὰ φάους κότον.

Sic vulgo legitur. Longum est enarrare quam varias hic locus corruptissimus tulerit medendi artes, ita ut e nullius artificis critici manu non alius prodierit. At norma medendi petenda erit ex antistropha v. 751, ubi omnia satis sana sunt, nisi quod ἐσθλά in suspicionem vocatum est, nulla alia de causa, nisi quod cum strophae metro, quod viri docti statuerunt, non consentiebat. Itaque mutaverunt in ἕδεθλα, „fundamenta aedium“ vel

„aedes“ interpretantes. Schneidewinus autem *χρυσόπαστα* ineptum aedium epitheton esse intelligens „sellas“ esse vult, nec tamen eam significationem adhuc ignotam firmavit. At *ἐσθλά* sunt bona omnis generis, hic autem, ubi bona domus divitis intra parietes, id quod tota antistropha docet, significantur, sunt domus ornamenta, lacunaria aurata, supellex pretiosa, vestis stragula auro picta. Servato igitur *ἐσθλά* de stropha videndum, in qua *νεαρά* alienum esse et e praecedente *νεάζουσαν* ortum omnes recte iudicaverunt. Neque etiam de sententia, quae in verbis illis inesse debeat, dubitatio esse potest. Omnia enim ita sunt comparata, ut necessario fere hoc dicatur: violentia novam parit violentiam serius ocius, quum certus dies venerit discrimen adducens irae reviviscentis. Itaque in promptu est locum sic refingere:

τότ' ἢ τότ', ἂν τὸ κύριον
μόλῃ νέον φάος κότου,

vel sic: *μόλῃ φάος παλίγκοτον*, cui iam servato *ἐσθλά* ad amussim respondent antistrophica.

768. *ὅστις δ' ἀγαθὸς προβατογνώμων,*
οὐκ ἔστι λαθεῖν ὄμματα φωτός,
τὰ δοκοῦντ' εὔφρονος ἐκ διανοίας
ὑδαρεῖ σαίνειν φιλότητι.

Simulatio haud fallet virum, qui mores hominum noverit. Hunc sensum verborum esse debere patet. Verum de structura dissensio est, eamque varie expediunt. Liceat paucis dicere, quid mihi videatur. *φωτός* non ad *προβατογνώμονα* refero, sed simulatorem indicari puto, cuius ex oculis mentem falsam facile cognoscat vir vitae hominum morumque peritus. Tum *τὰ δοκοῦντ'* in *ἃ δοκοῦντ'* mutavit Hartung, *τά* relativum esse vult Enger, uterque pro *σαίνειν* scribens *σαίνει*. Nec tamen sic omnis discutitur obscuritas. Schneidewinus e *σαίνειν* subintelligens *σαίνοντα* et structuram sic instituens: *τὰ δοκοῦντα σαίνειν εὔφρονος ἐκ διανοίας, σαίνοντα ὑδαρεῖ φιλότητι*, rem me quidem iudice impedivit magis quam expedivit. Experiamur igitur emendandi fortunam. Quum *λαθεῖν* cum participio construi soleat, *σαίνοντα* scribendum et verba sic collocanda: *σαίνονθ' ὑδαρεῖ φιλότητι*, ita ut accusativus *τὰ δοκοῦντ' εὔφρονος ἐκ διανοίας* pendeat e *σαίνοντα*, et *σαίνειν τι* sit blandiendo aliquid prae se ferre. Articulus *τά* ad *δοκοῦντα* pertinet, quia ea, quae non sunt, sed videntur tantum, significantur. Loci sensus hic erit: qui idoneus est hominum aestimator, eius animum non possunt fugere hominis oculi, qui ea, quae ex animo benevolo provenire videntur tantum, h. e. benevolentiae speciem, blandiendo simulant amicitia lubrica vel falsa. Quanquam fateor non displicere Kayseri emendationem *τὸ δοκοῦν* et *ὑδαρεῖ σαῖνον* scribentis, nolui tamen reticere, quae iam antequam Kayseri rationem cognovissem, de h. l. scripseram.

776. *θάρσος ἑκούσιον ἀνδράσι θνήσκουσι κομίζων.* Hunc locum nemo neque emendatione neque interpretatione satis explanavit; nam et Engeri ratio obscura est, et in Bambergeri Schneidewino probata: „videbaris nobis quasi viris morientibus animum addere libenter accipientibus,“ est quod displiceat. Nam ut omittam *θνήσκουσι*, pro quo exspectaveris *θανουμένοις*, non potest Chorus in Agamemnone id vituperare, quod quivis bonus dux milites ad bellum ducens facit. Sed difficilius est meliora dare. Interim non quasi verum invenerim, sed ut proferam quod a poeta dici exspectaverim, hoc fere

desidero: *γάμον ἀκούσιον ἀνδρῶν θανάτοισι κομίζων*, i. e. „quum nuptias invitas (Helenae cum Menelao, quas Helena deseruit) virorum necibus reparare conareris“. Helena enim senibus non digna visa est, quae cum multorum virorum caede repeteretur. — De verbis sequentibus: *νῦν δ' οὐκ ἀπ' ἄκρας φρενὸς οὐδ' ἀφίλως εὔφρων πόνον εὖ τελέσασι*, Kayserus optime meruit facillima coniectura pro *πόνον* reponens *λόγος*.

791. *καπνῷ δ' ἁλοῦσα νῦν ἔτ' εὔσημος πόλις·*
ἄτης θύελλαι ζῶσι, συνθνήσκουσα δὲ
σποδὸς προπέμπει πίονας πλούτου πνοάς.

συνθνήσκουσα non videtur ferri posse. Quaeritur qua cum re cineres una moriantur? Cum *πλούτου πνοαῖς*, si Schneidewinum audias. Verum *σύν* in his compositis spectare solet ad rem praecedentem, non ad sequentem, nisi sequatur dativus, velut si hic legeretur *πλούτου πνοαῖς*. Sed ad praecedentia referri nequit, ibi enim *ἄτης θύελλαι* non mori, sed vivere dicuntur, et cum morientibus tantum procellis cineres una mori recte dici posse patet. Quare scribendum *ζῶσιν· ἐνθνήσκουσα δέ*, *et in iis* cett.

797. *πόλιν διημάθυνεν Ἀργεῖον δάκος,*
ἵππου νεοσσός, ἀσπιδηφόρος λεώς,
πήδημ' ὀρούσας ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν.
ὑπερθορὼν δὲ πύργον ὠμηστὴς λέων
ἄδην ἔλειξεν αἵματος τυραννικοῦ.

Non puto verum esse quod Schneidew. docet, poetam ludere in soni similitudine, ut a populo (*λεώς*) orationem flectat ad leonem (*λέων*), quae ratio ludendi hic frigidior est. Immo transit sermo ab imagine equi Troiani paullo audacius ad novam imaginem leonis saevi. Quibus imaginibus ne interiiciatur nova imagine et cum molesta rerum vicissitudine *λεώς*, scribendum erit *ἀσπιδηφόρων πλέως*.

906. *ηὔξω θεοῖς δείσας ἂν ὧδ' ἔρδειν τάδε*; In hoc loco obscurissimo, quem ne Hermannus quidem probabiliter tractavit, liceat varias, quas diversis temporibus excogitavi, coniecturas proferre. Quum enim Agamemno honores ab uxore sibi paratos ut nimios praefracte et constanter recuset, Clytaemnestra doli intenti conscientia subito perculsa paullisper timet, ne maritus vel somnio divinitus misso vel aliunde concepta suspicione aliquid praesagiat de fato sibi parato. Itaque regis animum pertentans quaerit, quid honores illos detrectet. Quo sensu poterat dicere: *ἦ πρὸς θεῶν δείσας τί μ' οὐκ ἐᾷς τάδε*; scil. *ποιεῖν*, ut *τάδε* sit adhibitum quemadmodum infra v. 929 *ἐπεὶ δ' ἀκούειν σου κατέστραμμαι τάδε*, vel *ηὔξω θεοῖς δείσας τι τῶνδ' εἴργειν ἐμέ*; vel etiam *ηὔξω θεοῖς δείσας τι μή μ' ἔρδειν τάδε*; — Kayserus suspicatus est *ηὔξω θεοῖσι τάδ' ἀνύσας* (i. e. tanta victoria reportata) *ἔρδειν τάδε*;

914. Clyt. *τοῖς ὀλβίοις γε καὶ τὸ νικᾶσθαι πρέπει,*
Agam. *ἦ καὶ σὺ νίκην τήνδε δήριος τίεις;*

„At beati se facile patiuntur ad gratificandum vinci,“ Clytaemnestra ait, cui rex hunc fere in modum videtur respondere debere: „nonne tu quoque, licet reditu meo felici beatam te praedices, tamen in hoc pudoris cum honore certamine vincere magni facis?“ ut scribendum sit: *οὐ καὶ σὺ νίκην τῆσδε δήριος τίεις*; et sic Hartung quoque, nisi quod *τήνδε* retinuit. Praeferrem tamen, nisi a lectione vulgata nimium discreparet, *οὐ καὶ σὺ νίκης τῆσδε δηριᾶς πέρι*;

952. *Οὐδ', ἀποπτύσας δίκαν*
Δυσκρίτων ὀνειράτων
Θάρσος εὐπιθὲς ἵζει
Φρενὸς φίλον θρόνον. χρόνος δ' ἐπεὶ
Προμνησίων ξυνεμβόλοις
Ψαμμίας ἀκάτας παρή-
βησεν, εὖθ' ὑπ' Ἴλιον
Ὦρτο ναυβάτας στρατός.

Sunt, qui nominativos illos absolutos, qualem *ἀποπτύσας* esse volunt, facile concoquant, in quorum ego numero non sum, sed paullo infirmiorem me confiteor. Nam facilis est emendatio *ἀποπτύσαι* et ad sensum accommodatissima: „Curas illas non tamquam somnia abiicere audeo".

Paullo post *ἀκάτη* vocabulum sine exemplo est, et si *ἀκάτου* scripseris, ut Schneidewino placuit, inepte tamen dicatur navis *ψαμμία*, arenosa, nisi quae demersa et arena sit obruta. Contra *ἀκτῇ* optime convenire illud adiectivum iam Wellauerus viderat. In eo autem erravit, quod exercitum consenuisse dici putavit, id quod decem annorum spatio fieri non poterat, immo tempus consenuit vel defloruit, quare Hermannus rectissime emendavit *χρόνος δέ τοι*. Verum *ξυνεμβόλοις* vel *ξὺν ἐμβολαῖς* non de funium in naves iniectione intelligendum, quae fit quum in altum evehuntur, sed de navium appulsu ad litus arenosum, quare scribendum *χρόνος δέ τοι πρυμνησίων ξὺν ἐμβολαῖς ψαμμίας ἀκτᾶς παρήβησεν*. In antistropha autem quum versus 969 *εὔχομαι δ' ἀπ' ἐμᾶς τι ἐλπίδος* aperte vitiosus sit, quem varie emendare conati sunt, facillima correctione *εὔχομαι ταὖτ' ἐξ ἐμᾶς* scribens responsionem effeceris.

Stropha huius carminis altera variis referta est vitiis. Hermannus sic scripsit:

μάλα γέ τοι τὸ πολέος γ' ὑγιΐας
ἀκόρεστον τέρμα. νόσος γὰρ ἀεὶ
γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει,
καὶ πότμος εὐθυπορῶν
ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα.
καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων
κτησίων ὄκνος βαλὼν
σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου,
οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος
πημονᾶς γέμων ἄγαν,
οὐδ' ἐπόντισε σκάφος
πολλά τ' ἂν δόσις ἐκ Διὸς ἀμφιλαφής τε καὶ ἐξ ἀλόκων ἐπετειᾶν
νῆστιν ὤλεσεν νόσον.

Versum 973. Schneidewinus adsumpto Blomfieldii *ἀεί* post *νόσος γάρ* sic emendavit: *μάλα τε γὰρ τὸ πολέος γ' ὑγιΐας κτέ.* Recte quidem in re summa, sed in nonnullis ab eo discedendum arbitror. Nam primum de Hermanni coniectura *πολέος* non satis confido, quia dubia haec est vocabuli forma. Deinde quum sententia haec fere esse videatur: „Nemo scit, quam diu valetudo sit duratura, quia vicinus habitans morbus semper urget," significatio temporis longioris desideratur, qualis est *μακροτέρας* (Fr. Thierschius quidem de analog. II, 12 *σφοδροτέρας* voluit). Nescio autem an *ἀκόρεστον* non satis aptum sit,

opus est enim notione „infiniti“, quam praebet Karstenii coniectura *ἀόριστον*. Itaque sic scribendum existimo: *μάλα τε γὰρ μακροτέρας ὑγιΐας ἀόριστον τέρμα. νόσος γὰρ ἀεὶ κτέ.* Nisi ut *ἀκόρεστος* servetur, sic malis: *μάλα τε γὰρ μακροτέρας ὑγιΐας ἀκόρεστον τέρμα. νόσος δ᾽ ἀφανής κτέ.*

In sequentibus probabilem emendationem invenire non contigit, hoc tantum video, lectionem vulgatam v. 979 sqq. pluribus de causis suspectam esse, primum quod rursus ferre iubemur intolerabilem nominativum absolutum *ὄκνος βαλών*, deinde quod *ὄκνον* esse volunt idem quod *ἄνδρες ὀκνοῦντες*, „nautae metuentes“. Tum autem verba *καὶ τὸ μέν* vix recte se habent, quia ab iis sententia inchoatur superioribus opposita. Nam paullo ante dicebatur: „Nulla felicitatis magnae in rebus humanis constantia est.“ Sequitur: „Sed qui partis fortunarum suarum iacturam sapienter in tempore ipse facit, non prorsus interit.“ Vides non *καί*, sed *ἀλλά* desiderari. Haec si vere disputata sunt, sic fere scribendum erit: *ἀλλ᾽ ὁ μὲν πρὸ χρημάτων κτησίων ὄκνον βαλὼν - - οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος πλησμονᾶς γέμων ἄγαν.* Nam pro *πημονᾶς*, cuius explicationem commodam vix inveneris, scripsi *πλησμονᾶς*. Iam hisce omnibus oppositum est in antistropha v. 986 illud *δέ*, quod particulae *μέν* v. 978 respondeat. „Bonorum iactura aliquo modo resarciri potest, sed caedis perpetratae sanatio nulla.“

1020. Nescio cur neglecta sit Wieseleri facillima correctio *σχολήν* pro *σχολή*, qua recepta et *θυραίᾳ* posito omnia se recte habebunt sic: *οὔτοι θυραίᾳ τήνδ᾽ ἐμοὶ σχολὴν πάρα τρίβειν.*

1022. Scribendum erit *πρὸς σφαγὴν πέλας* ad vitandum *σιγματισμόν* in *πρὸς σφαγὰς πέλας.*

1079. *ἒ ἔ, τί τόδε φαίνεται;*
ἦ δίκτυόν τί γ᾽ Ἅιδου;
ἀλλ᾽ ἄρκυς ἡ ξύνευνος ἡ ξυναιτία φόνου.

Prius *ἡ* in *ἦ* mutavit Enger, Schneidew. nihil mutat, sed *ἡ ξυναιτία* pro *ἡ αἰτία* positum putat ut voci *ξύνευνος* assimularetur. Neutrum placet, potius vitium subest in *ἄρκυς*, quod glossema vocabuli *δίκτυον* in hunc versum delapsum est. Cassandrae menti obversatur Clytaemnestra vestimentum amplum marito, quo irretiatur, porrigens, quam vestem agnoscit esse rete Orci. Nec tamen sic commode mulierem ipsam *ἄρκυν* dicere poterat. Nescio an scribendum sit: *ἀλλ᾽ ἀνδρί γ᾽ ἡ ξύνευνός ἐστιν αἰτία φόνου.* Librarii negligentiae *ξυν* duplex debetur.

1086. Recepta palmaria Dindorfii emendatione *ἅτε καιρία* hos versus sic scribo:

ἐπὶ δὲ καρδίαν ἔδραμε κροκοβαφὴς
σταγών, ἅτε καιρία πτώσιμος
ξυνανύτει βίου δύντος αὐγάς.

Iam simplex et apta haec existit sententia: „sanguinis gutta, quae in ipso exitu (graviter vulnerati puta) cadens simul vitae intereuntis lumina conficit.“ Errat autem Schneidew. *κροκοβαφής* tenebras illas significare putans, quae oculis morientium vel terrore aliquo torpentium ac deficientium offundi dicuntur, et nostrae locutioni *grün und blau vor Augen* assimulans. Immo sanguis sic dicitur propter colorem rubrum, cf. v. 229 *κρόκου βαφάς.*

1092. *ἐν πέπλοισιν μελαγκέρων λαβοῦσα μηχανήματι τύπτει.* In his *μελαγκέρων* nihili esse fere consentitur. Alii *μελαγχρόῳ* vel *μελαγκρόκῳ* coniecerunt. Mihi quidem *μηχανήματι* verbis *ἐν πέπλοισι* appositum esse videtur ad significanda retia letalia, quibus

constrictus est Agamemno. Iam illi *μηχανήματι* iustum epitheton reperire mihi visus sum scribens *μελαμπλόκῳ*.

1097. *ἀπὸ δὲ θεσφάτων τίς ἀγαθὰ φάτις*
βροτοῖς τέλλεται; κακῶν γὰρ διαὶ
πολυεπεῖς τέχναι θεσπιῳδοὶ
φόβον φέρουσιν μαθεῖν.

In hisce Hermanni rationem amplector, nisi quod pro *κακῶν γὰρ διαί*, quod non satis perspicuum est, *κακῶν γὰρ πλέαι* malim, ut hic efficiatur sensus: „Nam malis plerumque refertae multiloquae artes fatidicae afferunt, ut quid sit timere discas."

1102. *τὸ γὰρ ἐμὸν θροεῖς πάθος ἐπεγχέας.*
ποῖ δή με δεῦρο τὴν τάλαιναν ἤγαγεν,
οὐδέν ποτ' εἰ μὴ ξυνθανουμένην; τί γάρ;

Sic Hermannus, quem secutus est Schneidewin; nam vulgo est *θροῶ* et *ἤγαγες*. Receperunt *θροεῖς*, ut Cassandra Chorum alloqueretur; at is nihil tale dixerat, quo Cassandra de sorte sibi instante admoneretur. Verum postquam vaticinata est de Agamemnone, subito se quoque ad caedem vocari augurata suam sortem deplorans ipsa de se canit *ἰὼ ἰὼ ταλαίνας*. Hinc sequitur *θροῶ* verum esse. At sic non potest stare vulg. *ἐπεγχέασα* ab Engero servatum, quod duabus de causis falsum esse apparet, primum quod *ἐπεγχέαι* non simpliciter est addere, sed alicui rei, v. c. veneno infuso (vel h. l. morti) insuper affundere. Atqui non ipsa Cassandra regis morti superinfundit suam quoque sortem, sed Clytaemnestra, quae ei necem parat. Deinde metrum repugnat, versus enim aperte est dimeter dochmiacus acatalectus, quemadmodum antistrophicus, quem non recte Engerus mutavit adiecto *τε* post *δέμας*. Nihil igitur restat nisi ut *ἐπεγχέαι* scribatur: „Meam sortem pronuncio infudisse Clytaemnestram." Nec mirum est *αὐτήν* vel *νιν* non esse additum; interfectricis enim imago ut in antistropha quinta v. 1092, ita hic quoque obversatur. Iam non est ut cum Hermanno *ἤγαγες* (sc. tu Agamemno) mutes in *ἤγαγεν*.

1112. Quum neque de hiatu in *γέ οἱ* vel in *περεβάλοντό οἱ* admittendo satis certum sit, nec verbi forma media, quam e cod. Med. servarunt Hermannus et Schneidewinus, explicationem facilem habeat, iam pridem conieceram *περὶ γάρ οἱ ἔβαλον*.

1137. *ἐγὼ δὲ θερμόνους τάχ' ἐν πέδῳ βαλῶ.* Quum neque haec lectio (quia *βαλῶ* non potest accipi pro *ἐμαυτὴν βαλῶ*) recte defendi neque Musgravii *θερμὸν ῥοῦν* vel Hermanni *θερμὸν οὖς* probari posset, iamdudum quia videbam de sanguine effuso cogitandum esse, conieceram *θερμὴν αἱμάδ' ἐν πέδῳ*. In eandem sententiam Schneidew. *θερμοχοῦν στάγ' ἐν πέδῳ* coniecit ad literarum similitudinem utique propius. Verum singularis *στάξ* nunquam, sed pluralis tantum legitur; quare *θερμοχοῦς στάγας πέδοι* proposuerim.

1168. Hoc loco multa periclitatus postremo incidi in *κἄμ' εἰδέναι σαφῶς*. In eandem fere incidit emendationem Ludovicus Schiller scribens *τορῶς*. Sed praestat Kayseri ratio *ἐκμαρτύρει μοι* scribentis et Hermanni *τὸ μὴ εἰδέναι* recipientis.

1174. *ἤδη τέχναισιν ἐνθέοις ᾑρημένη;* Hic *ᾑρημένη*, artibus divinis vel divinatione capta vel correpta, sensum idoneum non praebet, ut mireris ab editoribus novissimis praeter Karstenium omnibus esse retentum. Et ille quidem vir doctus proposuit *ἠσκημένη*. Ac vero desideratur notio „ornata, instructa". Fuit quum vellem *κεκασμένη*, „insignis", vel *κοσμουμένη*. Nunc autem coniicio *κεχρημένη* ut simplicissimum et ad colloquii contextum

plane accommodatum. Nam sic Choro interroganti: „Iam tum quum in arte divinandi versareris?“ apte respondet Cassandra v. 1174. — ἠρημένη videtur intrusum esse ab aliquo, qui loco prave intellecto hoc interrogari opinaretur, num capta iam tum fuisset a deo eiusque artibus ad amorem devincta.

1184. *παῖδες θανόντες ὡσπερεὶ πρὸς τῶν φίλων.* Non mihi persuasit Schneidew. de retinendo ὡσπερεί, in quo ironiam acerbam esse voluit, meo quidem sensu ab h. l. alienissimam, itaque recte fecerunt qui ad emendationem confugerunt, ut Martinus ὡς πόρεις, „ut vituli“, ὥσπερ οὖν, „ut revera factum est“ Fr. Thiersch, πῶς ἐρεῖς Bamberger. Et mihi quidem verba Clytaemnestrae v. 1381 ὡσπερεὶ βοτοῦ μόρον reputanti, quibus eandam rem factam narrat, quam hic Cassandra factam auguratur, certum est ex illo loco huc traductum esse ὡσπερεί. Videtur enim illinc aliquis adscripsisse ὡσπερεὶ βοτῶν μόρῳ. Hic autem desideratur gravius quoddam vocabulum, quo rei atrocitas magis extollatur quam uno θανόντες fieri potest, quod rei immanitati significandae non sufficit. Itaque in particulae inanis ὡσπερεὶ locum succedat πρόσφατοι. Nam videre sibi videtur pueros mortuos recens mactatos a consanguineis, et facile potuit πρόσφατοι interire sequente πρὸς τῶν φίλων.

1194. *λέξασα κἀκτείνασα φαιδρόνους.* In φαιδρόνους unus haesit Schoemannus recte sentiens de simulata id laetitia dici non potuisse, ac frustra eum refellere studet artificio quodam Schneidew., quasi Clytaemnestra ex mente Agamemnonis dicatur φαιδρόνους. Nec tamen Schoemanni φαιόνους probo, quia necessaria est simulationis notio. Eam et oratione (γλῶσσα) et vultu prae se fert regina, quam vultus laetitiam indicatam videbis, si mecum scripseris φαιδρωπός.

1200. *θύουσαν Ἅιδου μητέρα.* Orci mater sine exemplo est nec facilem admittit explicationem. „Quae Orco subolem parit“ interpretatur Fr. Thierschius, quod verum esset si ex se natos occideret; praeterea Ἅιδῃ scribendum esset. Idem valet si cum Engero „Quae Orco prospicit“ interpreteris. Porro „Quae liberis suis necem parat“ dicere non licet, quia apud Aeschylum Oresti non insidiatur ut apud Sophoclem in Electra. Translate cum Stanleio G. Hermannus intelligit „furentem necis matrem“, nec tamen quae affert huius metaphorae exempla Eur. Troad. 1229, ubi Hectoris scutum victoriarum mater, Aesch. Sept. 1207, ubi πειθαρχία dicitur εὐπραξίας μήτηρ, Pers. 617, „vitis vini mater“, ad defendendam vulgatam sufficiunt. Nam illorum locorum ut lenissima, ita huius durissima et audacissima est translatio. Verum quum marito et Cassandrae mortem paret, Orci ministra vel artifex dicenda erat; quare audebimus, dum melius inventum sit, Ἅιδου τέκτονα.

1205. *καὶ σύ μ' ἐν τάχει παρὼν ἄγαν ἀληθόμαντιν οἰκτείρας ἐρεῖς.* Iam pridem, quum σύ fortius pronunciandum viderem, coniecceram καὶ σὺ δ' ἐν τάχει παρὼν ἄγαν γ' ἀληθόμαντιν οἰκτείρας μ' ἐρεῖς, ut με ex ἐρεῖς et ex οἰκτείρας penderet. Et in hac re postea confirmatus sum a Thierschio item μ' ἐρεῖς scribente, nisi quod ille vir doctus in Comm. de anal. p. 30 vulgatum καὶ σὺ μήν retinet.

1215. Quum Chorus dixisset ἀλλὰ μὴ γένοιτό πως, non puto recte se habere verba Cassandrae σὺ μὲν κατεύχει, sed desideratur; „Dum tu quidem deprecaris vel deprecari satis habes, occidere illis cordi est.“ Itaque scribendum: σὺ μὴν vel σὺ μέν γ' ἀπεύχει. Et notissimum est ἀπεύχεσθαι post formulam μὴ γένοιτο.

1234. *ἰδοὺ δ', Ἀπόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμὲ*
χρηστηρίαν ἐσθῆτ', ἐποπτεύσας ἐμὲ

κἀν τοῖσδε κόσμοις καταγελωμένην μέγα
φίλων ὕπ', ἐχθρῶν οὐ διχορρόπως, μάτην.

Sic eiecto *δέ* post *ἐποπτεύσας* cum Engero scribendum puto, quamquam ab eius interpretatione discedo. Nam ornatu vatis eam nunc exuit Apollo, non *quia*, sed *quemadmodum* antea, cum Troiae esset, eam vultu immoto passus est (*ἐπώπτευσεν*) rideri. Nec *μάτην* cum *ἐποπτεύσας*, sed cum *καταγελωμένην* est iungendum. Schneidewini autem rationem plane non intelligo, et falsum puto quod commate post *ἐχθρῶν* posito verba *οὐ διχοῤῥόπως μάτην* idem esse vult, quod *ὡς οὐ διχοῤῥόπως ματαίαν*, „tanquam manifesto dementem". Hoc sic tantum liceret, si adverbio *μάτην* adiectum esset *λέγουσαν*, *θεσπίζουσαν*, vel simile. Immo sensus hic est: „exuit me nunc ornatu deus ipse, qui me iam tum, cum inter Troianos meos quidem cives sed aperte inimicos versarer, placide passus est sic ornatam explodi, quamvis immerito," quia vera fidem usque abnuentibus mihi et inimice conviciantibus vaticinabar.

1250. Orestem aliquando ab exilio reducet *ὑπτίασμα κειμένου πατρός*, in quo *ὑπτίασμα casum* significare volunt, satis otiose apud *κειμένου*. Possis coniicere *ὀρθίασμα*, ut vociferatio patris in caede edita cogitetur a Furiis excepta et ad filium exulem delata esse. Sed *ὑπτίασμα* repraesentat imaginem resupini et manus, quibus ultores quasi implorat, porrigentis. Hom. Od. XI, 423. *οἰκτροτάτην δ' ἤκουσα ὄπα Πριάμοιο θυγατρός, Κασσάνδρης, τὴν κτεῖνε Κλυταιμνήστρη δολόμητις ἀμφ' ἐμοί. αὐτὰρ ἐγὼ ποτὶ γαίῃ χεῖρας ἀείρων βάλλον ἀποθνήσκων περὶ φασγάνῳ.*

1264. *οὐκ ἔστ' ἄλυξις, οὔ, ξένοι, χρόνῳ πλέων.* Sic vulg. Quodsi cum Hermanno scribitur *χρόνον πλέω*, vix apte a Choro respondetur *ὁ δ' ὕστατός γε τοῦ χρόνου πρεσβεύεται.* Nam haec verba aut parum recte intellecta aut frustra tentata explicanda sunt ad rationem formulae *ἡ ἀρίστη τῆς γῆς*, *ὁ λοιπὸς τοῦ χρόνου* (Krüg. 47. 28. 9.), ut Chorus dicat: „At ultima vitae ante mortem hora plurimi aestimari solet." Itaque apparet, Cassandram hanc fere sententiam edidisse: „quum effugium non sit, in morando nihil lucri video." Idque assequeris, si scripseris *οὔ· τί μοι χρόνῳ πλέον;* Atque in hoc genere sententiarum incisio in versu medio est legitima.

1280. *Ἰώ, ξένοι.*
Οὔτοι δυσοίζω θάμνον ὡς ὄρνις, φόβῳ
ἄλλως. θανούσῃ μαρτυρεῖτέ μοι τόδε,
ὅταν γυνὴ γυναικὸς ἀντ' ἐμοῦ θάνῃ,
ἀνήρ τε δυςδάμαρτος ἀντ' ἀνδρὸς πέσῃ.

Non puto recte hos versus a Schneidewino intellectos esse, quum vellet hoc inesse: testamini mihi, intrepidam me mortem obiisse. Nam hoc si statuas, versus sequentes quomodo cum verbis *μαρτυρεῖτέ μοι τόδε* cohaereant, omnino non liquet. Verum rectissime ante hos quadraginta annos Orellius noster proposuerat: *ἀλλ' ὡς - μαρτυρῆτε*, cui unus suffragatus est Thierschius. Nexus enim sententiarum hic est: „hospites, quum vos *ἰώ*, *ξένοι*, invoco, id non facio prae timore ut avis virgultum intrare trepidans, sed mihi testamini hoc (*τόδε*, caedem meam) tunc, cum femina pro femina et vir pro viro occisus erit." Rogat enim Chorum, ut aliquando in caedibus Clytaemnestrae et Aegisthi meminerint, id merito fieri ultionemque debitam et regi et sibi tunc persolvi. Nam inultum post mortem oblivioni tradi gravissimum videbatur. Non igitur est cur cum Engero *ὅταν* in *ἔστ' ἄν* mutetur; sed si quis vel *τόδε* in *τότε* mutari velit, vel

versum post τόδε intercidisse cum Karstenio statuat, me non habebit obloquentem. Nam versu uno vel duobus indicatum fuisse quid τόδε vellet, sane videtur probabile.

1287. *ἅπαξ ἔτ' εἰπεῖν ῥῆσιν, οὐ θρῆνον θέλω ἐμὸν τὸν αὐτῆς*· Recte ab Hermanno pro *ὡς* scriptum est *οὐ*, quod ab ipsa oratione quae sequitur postulatur. Sed scribendum erat etiam *τιν' αὐτῆς* pro *τὸν αὐτῆς*, id est, non de me aliquem questum sed de communi omnium hominum sorte proferam.

1292. *ἰὼ βρότεια πράγματ'· εὐτυχοῦντα μὲν*
σκιά τις ἂν πρέψειεν, εἰ δὲ δυστυχῇ,
βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.

Cur *ἂν πρέψειεν*, quod Hermannus amplectitur, reiiciendum sit, Schneidewinus exponit. Ipse, ut ex eius adnotatione intelligo, Porsoni *ἂν τρέψειεν* videtur defendere. „Sed umbra non convertit" recte dicit Karstenius, proponens *κρύψειεν*, melius quidem, sed non satis apte, quod opposito *σπόγγος ὤλεσεν γραφήν* coarguitur. Discimus inde similitudinem petitam esse a *σκιαγραφίᾳ*, quae fiebat in tabula vel in pariete dealbato, in quo extremis tantum lineis figurae adumbrari, non variis coloribus pingi solebant. Tali igitur adumbrationi, ne picturae quidem, sed leviter delineatae imagini comparat Cassandra res hominis secundas, contra cum adversae inciderunt, imaginis ne vestigium quidem restat, sed adumbratio tanquam spongia uvida deletur. Itaque scribo *σκιάν τις ἂν γράψειεν, εἰ δὲ δυστυχῇ*, cui respondent verba *ὤλεσεν γραφήν*.

1343. *νείκης παλαιᾶς ἦλθε σὺν χρόνῳ γε μήν* malim *γε νῦν*, venit sero quidem nunc.

1360. *εἰ δ' ἦν πρεπόντων ὥστ' ἐπισπένδειν νεκρῷ*
τάδ' ἂν δικαίως ἦν, ὑπερδίκως μὲν οὖν.

In loco corrupto liceat novam proponere sententiam, fortasse scribendum: *εἰ δ' ἦν πρέπον ποθ' ὥστ' ἐπισπένδειν νεκρῷ, τούτῳ δικαίως ἔσθ'· ὑπερδίκως μὲν οὖν.* „Si unquam licebat, super mortuo libare, super hoc iure licet; immo summo iure." Quibus verbis viam sibi aperit ad epilogum acerbissimum: quare cum iure ei libemus, ipse craterem quem ipse malis exsecrandis implevit, epotet. Kayserus proposuit *εἰ δ' ἦν πρέπον τιν' ὧδ' ἐπισπένδειν νεκρῷ*, ut *ὧδε* sit „post talem caedem"; nec tamen *ὧδε* sufficit ad hanc rem perspicue significandam.

1375. *θύος* thus est, suffimentum, nunquam piaculum vel, quod hoc loco volunt, furor. Quare vide ne scribendum sit *μύσος*, quod obliterari et facile in *θύος* mutari potuit, praecedente *ἐπέθου*.

1380. *οὐδὲν τόδ' ἀνδρὶ τῷδ' ἐναντίον φέρων.* Recte Schneidewinus cum Wellauero nonnullorum *τότ'* pro *τόδ'* reiicit. Puto tamen scribendum esse: *οὐδὲν τοιόνδε τῷδ' ἐν. φ.* i. e. nec *μῖσος ἀστῶν* nec *δημοθρόους ἀράς*.

1387. *ἔργων δικαστὴς τραχὺς εἶ. λέγω δέ σε*
(τοιαῦτ' ἀπειλεῖν σοι παρεσκευασμένη
ἐκ τῶν ὁμοίων) χειρὶ νικήσαντ' ἐμοῦ
ἄρξειν.

Sic locum varie vexatum scribo, quia sententia haec fere desideratur: „dico ego, ad tales minas aeque ac tu parata (nam etiam mihi sunt arma), te nisi manu viceris mihi nunquam imperaturum." Ergo *δέ σε* pro *δέ σοι*, *σοι* pro *ὡς*, *παρεσκευασμένη* pro *παρεσκευασμένης*, *ἄρξειν* pro *ἄρχειν*.

1414. *ἐμοὶ δ' ἐπήγαγεν εὐνῆς παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς.* Equidem excepta literula una, *εὐνήν* scribens pro *εὐνῆς*, librorum lectionem retinuerim sic interpretatus: „Cas-

sandra mihi adduxit εὐνήν suam condimentum deliciarum mearum." Ludit in vocabuli εὐνή ambiguitate, et mortem significantis et lectum. Nescit autem regina, quam vere his verbis de sua morte praedicere ipsa videatur. — Nam quominus cum Kaysero faciam, obstat, si mentem eius recte cepi, hoc, quod ex eius interpretandi ratione Agamemnon, non Cassandra verbi ἐπήγαγεν subiectum esse deberet. At a verbis ἣ δέ τοι Cassandra est.

1442. δαῖμον, ὃς ἐμπίτνεις δώμασι
καὶ διφυίοισι Τανταλίδαισιν,
κράτος τ' ἰσόψυχον ἐκ γυναικῶν
καρδιόδηκτον ἐμοὶ κρατύνεις.
ἐπὶ δὲ σώματος δίκαν
κόρακος ἐχθροῦ σταθεῖσ' ἐκνόμως
ὕμνον ὑμνεῖν ἐπεύχεται . . . .

Quid ἰσόψυχον hic sit, dissentiunt interpretes, nec certo apparet, quo illa paritas referatur. Nam quominus ἰσότης de animis Clytaemnestrae et Helenae intelligatur, quae Engeri et Kayseri sententia est, impedimur eo, quod κράτος dicitur ἰσόψυχον, id quod ad Clytaemnestram quidem pertinet, ad Helenam non pertinet. Nam illa, non haec vicit. Sed etiam in sententiarum nexu est quod displiceat, quod meo quidem iudicio facile tollitur, si pro τ' ἰσοψύχον scripseris κακόψυχον, post κρατύνεις commate distinxeris atque in strophae fine, ubi φόνῳ e Schützii coniectura addendum, interrogationis signum posueris, unde gravior haec existet sententia: „Deus, qui ingruis in domum Tantalidarum, fierine potest, ut dominationem male ferocem mulierum cum acuto animi mei dolore confirmes, dum (δέ, cf. infra ad v. 1541) illa corvi more stans in cadavere nefandum in modum cantum triumphalem super caede magna voce edit?"

1450. ἐκ τοῦ γὰρ ἔρως αἱματολοιχὸς νείρει τρέφεται. Laborant interpretes in explicando νείρει, quod alibi non legitur, neque omnino Schneidewini mentem intelligo νείρᾳ scribentis et reddentis „adnutritus ventri posterorum". Recte Engerus corruptum esse iudicat. Fuit quum suspicarer νηλής, verum postea recordatus verba Choeph. 40 μέμφεσθαι τοὺς γᾶς νέρθεν περιθύμως, scribendum putavi νέρθεν, quia illa sanguinis aviditas a daemone ex inferis nutritur.

1453. ἦ μέγαν οἴκοις τοῖςδε δαίμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς. Quum vulgata stare nequiret, propter γέννης τῆςδε v. 1449 iam pridem conieceram ἦ μέγαν Ἀτρεΐδαις, quod etiam Kayserus proposuit. Postea literarum aliquam similitudinem quaerenti mihi quoque se obtulit ut Schneidewino οἰκονόμον lectum v. 146. Nec puto, quod ibi οἰκονόμος μῆνις ad Clytaemnestram referebatur, idem vocabulum hic non satis apte daemoni tribui, quae Kayseri sententia est. Nam Clytaemnestrae succensentis insidiis ipsis subest quodam modo genius domui infestus, et genii illius, non suum esse facinus regina paullo post affirmat. Itaque non vitatam, sed paene quaesitam esse dixeris a poeta vocabuli οἰκονόμον iterationem.

1457. ἰώ, ἰὴ διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα. Pro διαί Hartung δύα, Enger δύαι. Malim Δίκα, quam in hac caedium serie agnoscit Chorus.

1469. αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὔργον ἐμόν. μηδ' ἐπιλεχθῆς. Recte iudicavit Thierschius hic aliquid excidisse, atque opus est fortiore oppositione. Videtur post τοὔργον ἐμόν desiderari ὀρθῶς αὐχεῖς, τὸ δὲ μὴ λέξῃς.

1483. *μέλας Ἄρης, ὅποι δίκαν προβαίνων πάχνᾳ κουροβόρῳ παρέξει.* Intolerabile est, quod haec iubemur sic accipere ac si esset, *προβαίνων δὲ ὅποι ἂν καὶ προβαίνῃ.* Quod malum equidem evitare malim scribens *μέλας Ἄρης· δίκαν δ' ἀεὶ προβαίνων*, „ultionem usque progrediens praebebit". Nec spernendum quod pro *πάχνᾳ*, quod nescio quo iure *cruorem concretum* esse volunt, nam pruinam significat, Hartung scripsit *θοίνᾳ*.

1495. *ἀλλ' ἐμὸν ἐκ τοῦδ' ἔρνος ἀερθὲν*
τῆς πολυκλαύτης Ἰφιγενείας,
ἄξια δράσας, ἄξια πάσχων.

Non libet varias virorum doctorum correctiones referre, e quibus recte intellexit Hartung *ἀλλά* ponendum esse ante *ἄξια δράσας*. Quo transposito sic scripserim:

ἐμὸν ἐκ τοῦδ' ἔρνος ἀποσφάξας,
Ἰφιγένειαν πολυκλαύτην; ἀλλ'
ἄξια δράσας, ἄξια πάσχων.

Nam *ἀερθέν*, quod alii *natum* vel *adultum* esse volunt, Hartung *occisum*, ex *ἔρνος* oriri potuit.

1518. *τίς δ' ἐπιτύμβιος αἶνος ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ*
σὺν δακρύοισιν ἰάπτων
ἀληθείᾳ φρενῶν πονήσει;

Recte quidem vim poeticam Wellauerus infringere ait eos, qui *αἶνον ἐπιτύμβιον* scribant. Verum si nominativum retineas, *ἰάπτων* otiosum erit, neque exemplum significationis neutralis, quam ei tribuunt, usquam reperies. Nam Suppl. 531 scribendum erit *ἰάπτει δὲ βάσιν δι' αἴας*. Quare reposuerim *ἰύζων*, cum lacrimis ingemiscens.

1541. *ὅρκους θεμένῃ τάδε μὲν στέργειν,*
δύστλητά περ ὄνθ'. ὃ δὲ λοιπόν, ἰόντ'
ἐκ τῶνδε δόμων ἄλλην γενεὰν
τρίβειν θανάτοις αὐθένταισιν.

Pactionem initura cum daemone regina ait se aequi bonique facere velle, quae obtigerint, quamvis dura. Iam opus est, ut ex altera parte dicatur, quid facere oporteat daemonem. Exspectes igitur fortiore oppositione sic expressum: „Ille autem discedens ex aedibus meis alio se convertat." Hoc erit *ὁ δὲ λοιπὸν ἰὼν — τρίβοι*, quasi dicat: equidem mea ferre parata sum, dummodo ille abeat, syntaxi paratactica, quam passim observare licet, de qua re Baeuml. gr. gr. §. 678 doctissime agit. Et *ὁ δὲ λοιπὸν ἰὼν* iam Hartung scripsit.

1563. Hunc versum sic scribo: *Ἀτρεὺς προθύμως δῆθεν ὡς φίλος πατρί.* Nam litotes *προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως* minime apta videtur, quia id omnino amice non fecit, sed simulans, se cum fratre reduce in gratiam rediturum, studiose scilicet quasi amicus patri epulas paravit. In versu superiore Engerus Blomfieldii *αὐτός* recte recepit. Sprevit nescio qua de causa Schneidewinus scribens *γαίας*. Sed poeta hoc dicit: eam quidem veniam invenit, ut ne occideretur ipse, nam liberi occisi sunt. Sic etiam Kayser.

1572. *μόρον δ' ἄφερτον Πελοπίδαις ἐπεύχεται,*
λάκτισμα δείπνου ξυνδίκως τιθεὶς ἀράν,
οὕτως ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος.

Schneidewini emendatio pro *ἀρὰν οὕτως* scribentis *ἀρᾷ ἀρᾶτ'* displicet, nec video quomodo *συνδίκως* expediat. Immo rectissime Hermannus viderat *συνδίκως* ad sequentia

πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος pertinere, sed potius σύνδικον scribendum. At οὕτως iure damnatur a Schneidewino. Coniicio ὠμῶς: „Coenae eversionem in communem exsecrationem vertens, ut saevum in modum, vel immiserabilis pereat tota Plisthenis gens."

1630. σώφρονος γνώμης δ' ἁμαρτεῖν τὸν κρατοῦντα . . . .

Lacunam explevit Hermannus addito αἶσχος μέγα. Sed leniore vocabulo videtur opus esse, velut κρατοῦντ' ἀνάξιον.

1645. μὴ προτιμήσῃς ματαίων τῶνδ' ὑλαγμάτων [ἐγὼ]
καὶ σὺ θήσομεν κρατοῦντε τῶνδε δωμάτων [καλῶς].

ἐγώ et καλῶς, quum absint a codicibus, suppleta sunt a criticis. Sed duae in hac scriptione res displicent. Nam προτιμᾶν non genitivum, sed accusativum postulat. Deinde durum est, quod iubemur e τῶνδε δωμάτων ad εὖ θήσομεν subintelligere δώματα. Nam si quid subintelligendum esset, e grammatica ratione non δώματα sed ὑλάγματα esset intelligendum, id quod sensui repugnat. Quare Karsten scripsit τῶνδε πημάτων τέλος. Atque rectissime πημάτων. Nam primum κρατοῦντε absolute positum genitivo facile caret, deinde id agebatur, ut regni potirentur, non ut aedes regias obtinerent, neque aedes dici poterant pro regno. Quod autem τέλος obliterari potuisse existimat Karsten, propterea quod Agamemnonis fabulae in codice Veneto subscriptum legatur τέλος ἀγαμέμνονος, acute hoc quidem est excogitatum, num vere, nescio. Nam πήματα desiderant ἄκος, itaque coniicio

μὴ προτιμήσῃς ματαίων τῶνδ' ὑλάγμαθ', ὡς ἐγὼ
καὶ σὺ θήσομεν κρατοῦντε τῶνδε πημάτων ἄκος.

id est: „Noli ad horum stultorum convicia magis attendere, quam ad meas admonitiones; nam ego ac tu rerum compotes horum malorum remedium parabimus."

P. S. Guilielmum Dindorfium anno superiore Aeschylum multis locis emendatum rursus edidisse heri demum legi in Gersdorfii Repert. Lips. fasciculo huius anni primo p. 16, quum hae commentationes typis expressae iam essent. Nec iam licebat novissimam illam editionem, cuius exemplar hucusque in regionem nostram non pervenit, Lipsia arcessere et in usum meum convertere. Quare noli, lector benevole, rem a nobis aut consulto spretam aut temere neglectam existimare.

Scripsi a. d. X Kal. Martias.





